



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 30. Papa de Hispanis apud Gurgensem Episcopum conquestus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

manæ urbis foribus exciperent. Morem Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
gerere constanter renuebant Cardinales,  
rei novitatem caussati, Julius quoque  
eorum rationibus cedens, non nisi duos  
Purpuratos præmisit, qui usque ad Pon-  
tem - Molem procedebant, atque utrum-  
que Episcopi latus stipantes eum ad Ec-  
clesiam S. Mariæ de Populo adducebant.  
Adventantem Papa perbenigne in publi-  
co Consistorio excipiebat; ejus enim o-  
pera ad conciliandum sibi Cæsarem ad-  
modum utilem existimabat.

## §. XXX.

*Papa de Hispanis apud Gurcensem  
Episcopum conquestus.*

Absolutis hisce solemnibus de negoti-  
i summa agi cæptum est, ac primo qui-  
dam Hispanorum res discutebantur;  
quippe eisdem, donec Galli penitus ex  
Italia expulsi essent, singulis mensibus  
quadraginta aureorum millia esse nume-  
randa decernebatur; hanc igitur sum-  
mam deinceps etiam ipsis solvendam  
contendebant: ast cum jamjam a Floren-  
tinis centum aureorum millia accepis-  
sent, nec minoris valoris æstimaretur Flo-  
rentini Prætorii spolium, hinc nullum  
ampliora exigendi jus Hispanis suf-  
fragari videbatur, præsertim cum Galli  
nonnullas adhucdum Italiæ urbes possi-  
derent.

*Hist. Eccles. Tom. XXXII. E e de-*

Sæcul. XVI  
A. C. 1512.

derent. His etiam accessit, quod Julius Pontifex Gallicæ ejectionis epocham a die, qua Palicius Alpes superabat, ducendam esse affirmaret. Insuper apud Gurcensem querebatur Papa, quod Hispani in Neapolis Regno Columnensibus refugium locum concessissent, quæ res non parum Pontificis animum afflixerat, eo quod, ut supra meminimus, Ferrariæ Dux Columnensium ope Roma excedens, Julii vindictam evasisset, cui tamen responsum: haud mirandum, quod Hispani Duci in Neapolis Regno asylum indulgissent, cum Fabricius Columna hujus coronæ Connestabilis esset. Incusabat etiam Hispanos Pontifex, quod Senensis ac Luccensis Reipublicæ patrocinium implorassent, unde is inferebat, quod in Etruria sedem figere parassent, eo fine, ut Austriæ Archiduci Mediolanensem Ducatum assererent. Hispani, quamvis cunctis hisce Julii suspicionibus immerito conceptis obviare haud tenerentur, nihilominus, quid responderent, satis promptum habebant.

§. XXXI.

*Papæ rationes Mutinam, Reggium,  
Parmam ac Placentiam re-  
tinendi.*

*Petr. de  
Angler.  
epist. 512.*

Post hæc agitabatur quæstio, utrum Pontifex Mutinam, Reggium, Parmam, &